



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CLXXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Michaelem Regem Bvlgarorvm.  
Hortatur vt ad obedientiam Romanae ecclesiae, a qua seductus  
recesserat, cum sua gente reuertatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

do proficisci facito. Præterea veridico multorum relatu longe lateque resonante didicimus, quod res & possessio-  
nes dilectæ ac spiritalis filiæ nostræ, & sancti Petri com-  
mendatae Angelbergæ imperatricis sint a quibusdam ma-  
lefactoribus omnimodis deprædatae, non solum quæ foris  
extitere in agris & villis, sed etiam quæ intus per venerabili-  
lia, & non violanda loca sanctorum monasteriorum reposi-  
tæ fuerant: pro quo scilicet tam immani scelere, nefando-  
que piaculo sanctimoniam tuam merito redarguimus.  
Quoniam sacerdotii tui officium est, male agentes aucto-  
ritate diuina corrigere, verbisque salubribus cohibere, ne  
tacendo tales, proh dolor! imitari potius quam prohibere  
videaris. Est enim ex hoc pessima fama vniuersum discur-  
rens per orbem, quod dominam quondam, & imperatri-  
cem vestram, cui vestram fidem per iusurandum dedi-  
stis, male tractatis, cui pristinum honorem, dignamque  
reuerentiam semper exhibere debueratis. Nunc itaque  
pro amore sancti Petri, sub cuius speciali defensione con-  
fistit, eam adiuuare non prætermittas, quo usque sua om-  
nia quæ iniuste perdidit, \* possit. Data ut supra.

\* f. deg  
recupe-  
rate

## EPISTOLA CLXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Hortatur ut ad obedientiam Romanæ ecclesiæ, a qua  
seductus recesserat, cum sua gente reuertatur.

*Dilecto filio Michaeli regi Bulgarorum.*

**Q**VIA VOS OMNIPOTENS Deus dono gratuitæ misericor-  
diaz suæ, gentemque vestram ad cognitionem sui no-  
minis vocare dignatus est, meminisse debeat is hoc quod  
*Matth. 16.* Dominus beato Petro apostolo dixit: *Tu es Petrus, & super  
hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* cui vos in primordio  
Christianitatis vestræ ad regendum commisisti, eiusque  
successoribus ad obediendum. Sed nescio qua ratione ab  
eius magisterio, calliditate quorundam estis abducti,  
*Galat. 3.* ita ut cum Apostolo dicamus: *Quis vos fascinavit ei non  
obedire, cui dudum colla summissis?* aut illis credidisti, ut  
pace Græcorum loquamur, qui quotidie nouis, & variis

disciplinis, atque dogmatibus confunduntur? Sed quæso, fili carissime, ad sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ simum, quæ caput est, instituente Deo, omnium ecclesiarum in toto orbe diffusarum, relictis superfluitatibus, & seductionum scandalis, vos gentemque vestram amore mentis, sine mora reducite. Quia in tantum vos affectione paterna diligimus, ut in visceribus Christi Iesu esse cupiamus. Et ecce parati sumus, ut vos lucrifaciamus, & quidquid legatorum nostrorum offuscatione nuper offensum est, ad purum corrigere, & omnia maturissime redintegrando curare, & si contigerit non solum compati, & condolere vobiscum, sed etiam pro salute animarum vestrum mori non recusabimus, dicente Ioanne apostolo : *Quoniam Deus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* 1. Ioan. 3. Vestra tamen dilectioni conuenit monitis paternis benigno amore semper præbere assensum, & admonitionibus nostris accommodare auditum: quia ille, cui a Domino claves regni cælorum ligandi, atque soluendi collatae sunt, quotidie & indesinenter expandit brachia, & vos reuertentes ad se gratulanter exspectat; quatenus vos æterno pastori reddat compotes æternæ beatitudinis, a quo accepit ministerio sui apostolatus animas vestras redimere. Data ut supra.

## E P I S T O L A C L X X V .

## I O A N N I S P A P A E V I I I .

AD C O N S I L I A R I O S M I C H A E L I S

R E G I S B U L G A R O R V M .

Eiusdem argumenti.

*Petro, Cerbulæ, & Sundicæ, ceterisque optimatibus, & consiliariis dilecti filii nostri Michaelis regis Bulgarorum.*

D E N I Q U E moneo vestram omnium dilectionem, ut continuis adhortationibus, atque suggestionibus dilecto filio nostro Michaeli gloriose regi seniori vestro annuntietis, vosque cum eo ad sinum sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ vos æternæ beatitudinis cupit esse participes, redeat, ac redeatis; ne diutius quorundam peruersi dogmatis sua-  
fionibus perniciem, ac detrimentum, quod absit, animæ ve-  
stræ patiamini. quoniam nos in tantum amorem super vos

*Concil. Tom. 24.*

A a ij